



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illvstrivm Virorum Poemata

Cesarini, Virginio

Antverpiae, 1662

Ad Galliam. De Morte Dionysii Petavii e Societate Iesv, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-7990

FERDINANDI FURSTENBERGII. 169

Felices FABIO vocavit Idus

Fatalem FABIIS 18 diem trecentis.

18 Idib. Feb. sex & trecenti ex Fabijs Veienti praelio inter-
emti. *Ouid. l. 11. Fast.*

AD GALLIAM,
DE MORTE
DIONYSII PETAVII
E SOCIETATE IESV,
Cùm Franciscus Barberinus S. R. E.
Cardinalis illi à Poëtis parentari
iuberet.

S I vacat, & nostras ciuilia bella Camænas
Audiri lituos inter & arma sinunt,
Accipe quæ vates cineri sacramus amico
Carmina, non vno Gallia pressa malo.
Scilicet in longum veniunt tibi tristia morem,
Teq; alia ex alijs fata vicesq; grauant.
Non satis in luctus fuerat, tua pignora, ciues
In te discordes exacuisse manus.
Et Parca fecere nefas, commune, sed atrox,
Cui natura nihil quo medeatur habet.

Felices

iam vocant,

L 5

Six-

*Sirmondus, ¹ quo non alius Regum acta tuorum
Certior, & regni iura referre, iacet.*

*Sumserunt etiam, dum Regum scrinia seruas,
In te lanificæ ius, Puteane, ² Dea.*

*Communis, Puteane, dolor nunc vatibus, olim
Grande decus Clarij præsidiumq; chori.*

*Nec satis: extincti mors importuna Petauû
Accedit tantis nunc noua causa malis.*

*Ille silet, paruaq; cinis compostus in urnâ est,
Suada iacet riguis quam super vda genis.*

*Qualis scissâ comas, lacerataq; pectus apertum
Incubuit Pylio commoritura seni.*

*Ereptum Ligeris plorat natalis alumnum,
Turbataq; suis fletibus auget aquas.*

*Ipsa dolet miserum regina Lutetia casum
Funereâ sparsas fronde reuinctâ comas.*

*Iure etiam libat lacrymas FRANCISCVS adempto,
Romuleos inter gloria prima Patres.*

*At benè quòd cineri (quid enim non ille meretur?)
Doctorem vatum carmine iusta paret.*

*Nam quid felices frustra dolor urgeat umbras?
Iustius in laudes ora resoluat amor,*

Desine,

¹ Iacobus Sirmondus è Societate IESV, vir totius antiquitatis curiosus inuestigator.

² Petrus Puteanus, Regiæ Bibliothecæ Custos ac Præses, lit-
torum erga literatos officiosissimus,

FERDINANDI FÜRSTENBERGII. 171

Desine, quisquis amas, magni pia busta Petavi

Nil profecturis sollicitare modis.

Quamvis indocilis leges mutare severas

Vitalem Lachesis ruperit atra colum;

Non omnis tamen ille perit: meliore superstes

Parte sui, volitat docta per ora virum.

Quid metuat Lethen obliuia nigra trahentem

Fluctibus? ignavos torqueat ille metus.

Hic rerum memores fastos, memorandus & illis,

Edidit, & Batavam contudit invidiam.

Bis senis docuit celeres cum mensibus annos

Munitam certis legibus ire viam.

Aetheriasq; domos animo percurrit, & astra

Diuisit numeris temporibusq; suis.

Hunc adeo egressum nostrae contagia terrae

Vranie famulâ duxit ad astra manu.

Errantesq; globos, mundi q; volubilis orbes

Pandit, & in toto sidera fixa polo.

Quae super euectus, meriti nunc ciuis Olympi,

Fertur in auctorem, non velut antè, suum.

Nunc illo fruitur propior, totumq; quod ipse est,

Inq; ipso quidquid condidit ipse, videt.

Sive Palestini regalia carmina vatis

Concinit Argolicis reddita carminibus:

Sen

*Seu Diuum medius, Patrum monumenta reuoluit,
Ingenio Diuos detinet ille suo.*

*Non igitur tibi vana ferunt solatia Musæ:
Tu modo te Superum, Gallia, iunge choris,*

A D

MATHIAM NALDVM,
S.D.N. ALEXANDRI VII. Pont. Opt.
Max. Medicum intimum, Aphorismos
Hippocratis notis illustratos Flauio Chi-
sio S.R.E. Card. amplissimo dedicantem,

P*Hæbi sacrarum præsidis Camænarum
Artisq̄, morbos quæ domare cessantes
Potens medelis, & salubribus succis,
Secunda profert sæpè fila Parcarum,
Decus perenne, maximoq̄ ALEXANDRO
Dignus Machaon, quid moraris in dias
Emittere auras luminis, senis Coi
Diuina, Nalde, scita? quæ dies longa,
Et imperita turba plurimis mendis
Opplerat, hæctenusq̄ nouerant pauci:
At mox, fauente Delio, tuis curis*

Deter-